

Anno Domini MCCCIII. à Nativitate, Florentini constituerunt dicto mense Decemviros belli Balia contra Ducem Mediolani, & alios inimicos suos. Dominus Pandulfus de Malatestis ex Mediolano venit Senas cum trecentis lanceis equitum in auxilium ipsorum. Bonifacius IX. & Florentini colligati conduxerunt ad stipendia Carolum de Malatestis, & Comitem Albericum, & alios milites, & Paulum de Urfinis, qui cum Cardinali de Regno, Bononiæ Legato Papæ, de mense Junii irruerunt in agrum Parmensem, & duxerunt prædas & multa spolia. Et postea castrametati fuerunt circumcirca Civitatem Bononiæ, pugnantes quotidie cum militibus & equitibus Ducis. Castrum Castrucari in Romandiola à Florentinis capitur, quod antea à Papa Bonifacio IX. emerant, ut dictum est; quod post multas pugnas Custos Arcis Genuensis finaliter consignavit eis numeratâ sibi aliqua pecuniæ quantitate. De mense Junii Pandulfus cum exercitu Ducis Mediolani è Senis in agrum Aretinum deprædatum descendit, & similiter exercitus Florentinorum descendit in agrum Senensem & Pisanum faciendo multa spolia. Castrum Montis Charelli ex conjura defecit à Comite Antonio dicti Castri, qui tunc erat dux exercitus Florentinorum, & obsidebat Civitellam Andreini de Ubertinis, & deinde operâ Florentinorum recuperavit. In fine mensis Augusti discordia fuit inter Consiliarios Ducis Mediolani; nam Franciscus Barbavara ex una parte, & Antonius de Vicecomitibus ex altera, cum quo erant homines Nobiles Mediolani, & facto rumore interfecerunt domum fratrem dicti Francisci, eo non reperto, & etiam interfecerunt multos suos amicos. Et deinde elegerunt aliquot Cives Mediolani, quorum consilio & voluntate voluerunt, quod Dux & mater ejus se gubernarent. Assisum his diebus recipitur à Papa Bonifacio IX. expulsis equitibus Ducis, & paulò post recepit Arcem Dominus Ugo de Cavalcabobus de Cremona, audiens novitatem factam Mediolani, expulsis Gibellinis & omnibus, qui erant ibi præsidentes pro Duce Mediolani, fit Dominus Cremonæ à Guelfis de mense Julii. Laudi Cives expulsis Gubernatoribus Ducis Mediolani fecerunt Dominum Civitatis unum ex suis Civibus. Crema Castrum similiter defecit à Duce Mediolani. Post Galeatii Ducis Mediolani interitum turbata sunt omnia Mediolani, & apud Ligures, quum & filios reliquisset parvulos, & militia Duces statim inter se de potentia certaminis ruinam Principum machinarentur. Ita mirabiliter conversa re, qui prius terrebant, metuerunt, & quibus desperata videbantur, omnia in tuto consistere, ac plurimum fidere, ut diceretur. Deinde quasi tota Liguria cepit deficere à Duce Mediolani, & Placentini Cives etiam deficientes miserunt pro auxilio ad Cardinalem, qui tunc erat Mutinæ, unde postea multæ novitates sequutæ sunt. In fine mensis Augusti quum Brixienfes etiam defecissent à Duce, fecerunt Dominum Urbis Dominum Paduæ, qui cum MM. equitibus & MMM. pedibus quum esset Brixie, tandem ab equitibus Ducis coactus fuit abire, & sic postea pro majori parte Cives Brixienfes fuerunt spoliati, & multi interfecti.

Rex Ladislaus Apuliæ & Neapolis à majori parte Dominorum & Baronum Hungariæ vocatur in Regem Hungariæ, recusando Regem Sigismundum de Bohemia, quem carcere mancipaverant, ut dictum est. Unde

A dictus Rex Ladislaus cum exercitu suo ivit Jadram, & ad eum venerunt multi Domini & Barones & Prælati Hungariæ, & ibidem die V. mensis Augusti ab Episcopo Strigoniæ, ad quem pertinebat de jure, fuit coronatus Rex Hungariæ. Et deinde quum mitteret Comitem Tricarici de Sancto Severino & multos Hungeros ad capiendum possessionem Regni Hungariæ, multi Domini & Barones nuntiaverunt voluntatem suam in contrarium, & potius voluerunt Sigismundum in Regem. Quare Rex Ladislaus putans se deceptum ab Hungaris, cum suo exercitu rediit in Apuliam & in Regnum suum. Baldassar Costa Cardinalis Legatus Bonifacii Papæ IX. de mense Septembris cum exercitu Pauli de Urfinis ducis Ecclesiæ, & Comite Alberico duce exercitus Florentinorum, & cum equitibus Caroli de Malatestis & Marchionis Ferrariæ profecti fuerunt versus Civitatem Regii, ut omnino destruerent Ducem Mediolani, & reliquias suas, quas certè destruxissent, nisi quòd Dominus Franciscus dominus Mantuæ & consanguineus Ducis Mediolani, unâ cum Carolo de Malatestis, ne Dux exstingeretur, persuasisset Cardinali, ut vellet concordiam cum Duce habere; & eam abque Florentinorum intelligentia concluderunt, ut Ecclesiæ reciperet Bononiam, & alias Civitates ad eam pertinentes, & de Tuscia fieret compromissum in Papam, & sic firmatum fuit. Unde dictus Comes Albericus & Oratores Florentini noluerunt consentire, quòd abque eorum voluntate & consensu non poterat concludi. Et tamen dictus Cardinalis cum equitibus Ecclesiæ profectus fuit in agrum Bononiensem. Sed Bononienses scientes concordiam factam, concitato rumore insurrexerunt contra Facinum Canem ducem ibi exercitus Ducis Mediolani, & concitatâ pugna hinc inde multi mortui fuerunt. Et tandem dictus Facinus Canis superatus à Populo refugit in arcem, & ex conventione facta cum Bononiensibus, qui clamabant, *Vivat Ecclesiæ*, abiit. Unde postea Bononienses receperunt Baldassarrem Costam Legatum Papæ, & sic Papa factus fuit Dominus Bononiæ; unde postea Florentini conquerentes de dicta concordia facta sine voluntate & requisitione ipsorum per Oratores suos ad dictum Legatum, respondit, fuisse factum pro utilitate Ecclesiæ, & remisit eos ad Papæ arbitrium; & postea etiam à dicto Papa reportarunt verba generalia licet ipsi Florentini exposuissent tantas pecuniæ quantitates. Perusini audientes, quòd Bononienses reversi fueraat ad obedientiam Ecclesiæ, deliberaverunt de mense Octobris obedire Ecclesiæ, & firmatis certis conventionibus, quòd exules deberent reduci, exceptis aliquibus, & quòd Ceccolinus de Michelottis remaneret Perusii pro custodia Civitatis, & haberet aliqua Castra Perusina, tandem intromiserunt Dominum Jannellum cum suo exercitu fratrem Papæ Bonifacii IX. in Urbem, & receperunt eum in dominum & Legatum Ecclesiæ & dicti Papæ. *Et ego Sozomenus Pistoriensis hujus Chronica Auctor tunc Perusii eram inter eundem Romanos, præsens fui, & vidi magnificentem apparatus & pompam factam à Perusinis, quando eum receperunt.*

Cives Alexandriæ dellaPaglia, quum defecissent à Duce Mediolani, Facinus Cane dux exercitus ex præcepto Ducis & matris ejus, eam vi recepit, & omnes Cives conjuratos spoliavit, & tandem dictus Facinus fecit se dominum Urbis ejusdem. Bonifacius Papa IX. quum adventaret tempus ratificandi pacem factam per Bal-